



Sebastianus in superiori Alsatia natus est anno circiter 1465. Is cū felici ingenio esset præditus, à pueris operā literis dedit, & primis rudimētis perceptis, sese Basileam & ad alias Germaniæ Academiās contulit. In ijs quoq; adeò in Theologiæ studio profecit, ut sacrarum literarum Doctor constitueretur. Postea Sebastianus Augustam peruenit, atq; in ea Ecclesia ob suam eruditionem omnibus innotuit. Deinde uerò Bernam Heluetiorū uocatus Ecclesię ministravit, & cunctis gratissimus extitit. Cum autem Euangeliij doctrinam intelligeret, atq; eam alios docere instituisset, in multorū odiū incurrit, atq; urbe cedere coactus fuit. Itaq; aliquā-

diu Argentinæ substitit, & functiones sibi commissas magna uitæ integritate expediuit. Interea respublica Bernēsis religionem mutauit, atq; uerbum Dei ex Biblicis tantum scriptis populo annuntiari iussit. Cum etiam postea huius Sebastiani eruditionem considerarent, anno 1536 Bernam reuocarunt, atq; suę Ecclesię cum reliquis ministris (inter quos etiam Simon Sultzerus uir doctissimus extitit) præesse iusserunt. Eam uocationem Sebastianus suscepit, & homines cuiuscunq; cōditionis essent, sedulò sui officij admonuit. Cum hoc modo per aliquot annos magna laude perseuerasset, ætate grauatus atq; iam octogenarius, anno salutis 1545 Bernæ decessit, & honestè sepultus fuit, Anon.